

gnantes, neconon libros eujusvis authoris per apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes. » Ita constit. *Apostolicae Sedis*, post bullam *Cœnæ* et plures Pontificum constitutiones, scilicet Pii IV, constit. 77, Sixti V, constit. 74, Clementis VIII, constit. 36, apud Cherubinum.

Vide quæ dicta sunt de authoritate *Indicis librorum prohibitorum*, in tract. *de Legibus*, dissert. III, art. 1, Petes 8<sup>o</sup>.]

## ARTICULUS III

*De apostasia.*

Apostasia græce idem est ac latine discessio seu desertio. Sumitur hic pro discessione a bono quod quis solemniter professus est. Et est triplex apostasia : a fide, a religione et ordine<sup>1</sup>.

Dico 1<sup>o</sup> : Apostasia a fide est desertio totius fidei. Et per hoc distinguitur ab hæresi, quæ est desertio fidei quoad partem tantum.

[Nec vero ad erimen apostasie requiritur alicujus falsæ religionis professio. Unde sub nomine apostatarum veniunt qui libertatem cogitandi et admittendi quidquid ipsis placuerit sibi vindicant, eo ipso doctrinam catholicam respuentes : inter quos adnumerari debent rationalistæ, deistæ, naturalistæ, pantheistæ, spiritistæ, et generatim omnes qui, post susceptum baptismum, a christiana fide penitus recesserunt, quamvis ad protestantismum, vel judaismum, vel mahometismum, vel paganismum non transierint.

Ex dictis patet apostasiam non essentialiter ab hæresi differre, sed tantum secundum plus et minus, quæ non diversificant speciem. Etenim, ut ait Angelicus, hic q. 42, a. 1, ad 3, « apostasia respicit infidelitatem ut terminum

1. Hie q. 12, a. 1, o.

ad quem est motus recedentis a fide. Unde apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quamdam circumstantiam aggravantem, secundum illud, II Petr., ii, 21 : *Melius erat eis veritatem non cognoscere, quam post cognitam retroire.* »

Eadem excommunicatione innodantur apostatae, qua hæretici, ut fuit relatum supra, *de Paenitentia hæreticorum.*]

Dico 2<sup>o</sup> : Qui religionem approbatam quam tacite vel expresse professus est, sine legitima superiorum licentia deserit cum animo non redeundi, etiamsi non dimisso habitu, est apostata<sup>1</sup>; quia, sicut habitus non facit monachum, sed professio vitæ religiosæ, sic dimissio habitus non facit apostatam, sed recessus a vita religiosa. Dimitentes habitum, ipso facto olim excommunicabantur, ex cap. *Ut periculosa*, tit. *Ne clerici et monachi*, in 6<sup>o</sup>, lib. III. Qui vero non dimittit habitum, jure communi non excommunicatur, sed unusquisque consulere debet leges sui Ordinis. In nostro Prædicatorum Ordine, excommunicatur ipso facto, dist. I, cap. 20, litt. A. Item, si temere dimittat habitum, animo scilicet vagandi, etsi cum voluntate redeundi, non est quidem apostata, attamen ipso facto excommunicatur cap. citato, *Ut periculosa*.

Si vero non temere et causa vagandi, sed ex legitima causa dimittat habitum, sive intra claustrum, puta causa somni, quietis, infirmitatis, etc., sive extra claustrum, puta metu mortis, incedendo per terras infidelium, vel causa vitandi scandali, incedendo noctu, aliave causa rationabili, non peccat, nec incurrit excommunicationem ; quia laudatus canon est tantum contra dimissionem habitus temerariam quæ sit materia apta evagationi.

[Ex constit. *Apostolicae Sedis*, « regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes, » incurrint excommunicationem latæ sententiæ suis Ordinariis, id est superioribus majoribus,

1. Ibid.

reservatam. Hoc crimen non tantum violationem voti castitatis includit, sed etiam apostasiam a vita religiosa implicat. — Animadvertendum est hanc censuram nonnisi contra solemniter professos fuisse decretam.]

DICO 3º : Qui ab ordine sacro sine legitima dispensatione retrocedit ad statum sacerdotalem, est apostata et peccat mortaliter; quia deserit statum cui per Ecclesiam erat solemniter mancipatus, et quem deserere vetant plures canones, poenis impositis contra transgressores.

[Supradicta constit. excommunicatione latæ sententiae episcopis sive ordinariis reservata plectit « clericos in sacris constitutos matrimonium contrahere præsumentes. » Tales enim, præterquam legem castitatis spernunt, ut apostate habentur. Et sufficit ad hanc censuram incurrandam, ut attentatio matrimonii fiat coram magistratu civili, in locis ubi viget decretum Tridentinum de clandestinitate. Ita pronuntiavit Cong. S. Officii die 22 decembris 1880.]

#### ARTICULUS IV

##### *De cultuum libertate.*

[Per cultuum libertatem intelligitur hodie, ex parte privatorum, facultas quemlibet cultum, inter dissidentes et oppositos, amplectendi, et etiam omnes pariter respuendi; ex parte vero reipublicæ, jus nullam religionem publice profitandi et omnibus, vel saltem pluribus, eumdem valorem tribuere, eademque jura concedere.

DICO : Cultuum libertas est omnino reprobanda.

Prob. 1º ex infelici et nunquam satis deplorando exitu hujus systematis, scilicet quod usu talis libertatis homines extra viam salutis conjiciantur. Etenim,

Quod fides catholica sola vera sit, sola salvifica, sola omnibus atque singulis hominibus, cum obligationibus et

officiis quæ ex ea diminant, lege divina imposta, quæque credibilitatis notis adeo splendidis insignita refulget, ut de ejus divinitate dubitari non possit, nemo ratione utens sincere negabit. Porro huic bono tam præstanti et necessario libertas seu æqualitas cultuum evidenter adversatur. Per eam enim, ut testatur Pius IX in Encyclica 9 novembris 1846, in regna catholica invehitur « horrendum illud ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans, de cuiuslibet religionis indifferentia sistema, quod, omni veritatis et erroris sublato discrimine, homines in eiusvis religionis cultu æternam salutem assequi posse. » Atqui hæc indifferentia hominem extra viam salutis conjicit. Ergo.

Prob. 2º ex vinculo quo societas obstringitur Deo.

Hoc præclare exponit Leo XIII in litteris encyclicis *Immortale Dei* : « Natura et ratio, inquit, quæ jubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod ab eo profecti, ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate conjuncti, nihil sunt minus in Dei potestate, quam singuli; neque minorem quam singuli gratiam Deo societas debet, quo authore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum quibus affluit copiam accepit. Quapropter, sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus jusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt citra scelus gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profutaram abjecere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat, omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. » Atqui cultuum libertas hoc vinculum societatis erga Deum disrupit. Ergo.

Prob. 3º ex fine ultimo societatis civilis. Si nempe ejus

finis proximus sit ut commodis et felicitati temporalibus membrorum suorum provideat, finis ejus ultimus est idem qui a Deo creaturis rationalibus fuit præstitutus, scilicet ut homines singulares salutem æternam assequantur. Quod ibidem sic adstruit idem Pontifex : « Sanctum oportet apud principes esse Dei nomen, ponendumque in præcipuis eorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, autoritate nutuque legum tegere, nec quipiam instituere aut decernere quod sit ejus incoluntati contrarium. Id et civibus debent quibus praesunt. Nati enim susceptique homines sumus ad summum quodam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitæ in cœlis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idecirco assequi eum qui commemoratus est finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem, communii utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicæ necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adiiscendoque summo illi atque incommutabili bono, quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit opportunitates afferat. Quarum præcipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandæ, cuius officia hominem Deo conjungunt. » Atqui hunc finem subvertit cultuum libertas. Ergo.

*Prob.* 4º ex damnatione pluries a summis Pontificibus huic doctrinæ inusta.

1º Pius VI, in epistola ad card. de la Rochefoucault cæterosque prælatos Galliarum directa, die 10 martii 1791, exclamat : « Quid insanius excogitari potest, quam tam æqualitatem libertatemque inter omnes [cultus] constitueret ? »

2º Judicium doctrinale contra cultuum libertatem a Gregorio XVI latum ita commemorat, illud sanciendo, Leo XIII in prælaudata Encyclica : « Sic Gregorius XVI per encyclicas litteras hoc initio *Mirari vos*, die 15 augusti anno 1832, magna sententiarum gravitate ea perculit quæ

jam prædicabantur : in cultu divino nullum adhibere delectum oportere; integrum singulis esse quod malint de religione judicare; solam quique suam esse conscientiam judicem.

3º Supra relatum est judicium Pii IX, quo systema illud « horrendum » appellat, ac vel « ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans. »

4º Idem Leo XIII, ibidem, principium æqualitatis et libertatis cultuum indifferentismo et atheismo æquiparat : « De religione, inquit, putare, nihil inter formas disparest et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare judicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, æque probables, æque bonas, æque Deo acceptas esse omnes non posse. » Atqui nemo non videt quam reprobanda sit doctrina cui tale judicium merito a tali judice inuritur.

5º Hoc systema expressissime damnatur in *Syllabo præcipuorum nostræ ætatis errorum*, cuius valorem et authoritatem sic exprimit idem Leo XIII, ibidem : « Pius IX, ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis quæ maxime valere cœpissent, plures notavit, easdemque postea in unum cogi jussit, ut scilicet in tanta errorum colluvione haberent catholici homines quod sine offensione sequerentur. » Porro in *Syllabo*, inter *errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur*, tres propositiones sequentes recensentur et ut dammate notantur : LXXVII : « Ætate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis. » Alloc. *Nemo vestrum*, 26 julii 1855. — LXXVIII : « Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii ejusque cultus exercitium habere. » Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembribus

1852. — LXXIX : « Enimvero falsum est, civilem ejusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam. » Alloc. *Nunquam fore*, 13 decembris 1856. Quæ propositio a Leone XIII refertur ut damnata inter notulas quibus ornatur Encyclica *Immortale Dei*.

*Resolves* inde :

1º Princeps seu legislator catholicus tenetur liberum sectarum cultum omnibus quibus potest modis impeditre. Veritas hujus conclusionis patet, tum ex precedentibus argumentis et authoritatibus, tum ex hac ratione, scilicet quod, si legislatori minoribus vitiis indulgere non liceat, multo minus iis favere potest quæ universaliter animos pervertunt, mores corrumpunt, ipsius reipublicæ fundamenta convellunt, et insuper, quod malorum gravissimum est, subditos a fine suo ultimo, id est a consecutione felicitatis æternæ, avertunt.

2º Quia vero in rebus humanis bonum prosequi non licet nisi in quantum rerum adjuncta patiuntur, si majora mala exoriri debeant ex violenta suppressione libertatis infelicer introductæ, tolerari poterit ab authoritate publica, dummodo intra fines debitos coercentur, usquedam sine gravi periculo omnino tolli possit. Ita intelligendum est quod scribebat Pius VI, in epistola prælaudata : « Discrimen inspiciamus quod intercedit inter homines qui extra gremium Ecclesiae semper fuerunt, quales sunt infideles et Judæi, atque inter illos qui se Ecclesiae ipsi per susceptum baptismi sacramentum subjecerunt. Primi enim constringi ad catholicam obedientiam profitendam non debent, contra vero alteri sunt cogendi, » supposito nempe quod bonum malo prævalere debeat. Et idem sine limitatione dicit Leo XIII in Encyclica *Immortale Dei* : « Neque causa justa nascitur, inquit, ut Ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus sequo restrictam, aut ei quæ germana et legitima sit libertati inimicam. Revera, si divini cultus varia genera

eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicuius aut adipiscendi boni, aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt ut ea habeant singula in civitate locum. Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet, ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *Tract. xxvi in Joann.*, n. 2, « credere non potest homo, nisi volens. »

Hoc similiter docet et eximie demonstrat Angelicus, hic q. 40, a. 11, o : « Humanum regimen, inquit, derivatur a divino regimine, et ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, que prohibere posset, ne, eis sublati, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. Sic ergo in regimine humano, illi qui presunt recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurvantur, sicut Augustinus dicit in lib. II *de Ordine*, cap. 4, num 2 : « Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. » Sic ergo, quamvis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt, vel propter aliquod bonum quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum quod vitatur. Ex hoc autem quod Judæi ritus suos observant, in quibus olim præfigurabatur veritas fidei quam tenemus, hoc bonum provenit, quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, et quasi in figura nobis repræsentatur quod credimus : et ideo in suis ritibus tolerantur. Aliorum vero infidelium ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandum, scilicet ad vitandum scandalum vel dissidium quod ex hoc posset provenire, vel impedimentum salutis eorum qui paulatim, sic tolerati, convertuntur ad fidem. Propter hoc enim hæreticorum et paganorum ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna infidelium multitudo. » Quod de Judæis hic dicitur, exemplo confirmatur ; nam semper Romani Pontifices, propter rationes hic expositas, in urbe Roma eos toleraverunt et etiam protectione sua tutati sunt.]

## ARTICULUS V

*De blasphemia.*

Blasphemia est vox græca significans idem ac latine maledictio. Sumitur a theologis pro maledictione derogante excellenti bonitati, præcipue divinæ. Unde

Dico 1º : Blasphemia definiri potest<sup>1</sup> : « Cordis vel oris locutio qua per modum convicii dicitur aliquid derogans excellentiæ divinæ bonitatis. » Seu brevius : « Contumeliosa contra Deum locutio. »

Explicatur. Dicitur 1º « cordis vel oris ; » quia utroque loquimur, et dæmones, qui non nisi mente loquuntur, blasphemant.

Dicitur 2º « per modum convicii. » Per quod distinguitur ab infidelitate simplici, quæ consistit in assensu contra fidem. Ad blasphemiam autem non requiritur assensus contra fidem, sed sufficit quod de Deo dicatur aliquid per modum convicii.

Neque ad id requiritur, quod bene nota, explicita et expressa intentio Deum conviciandi et inhonorandi, sed sufficit virtualis et implicita, quatenus per verba, aut per modum ea pronuntiandi, juxta communem apprehensionem, Deus dehonoratur et contemnitur. Unde non assentior iis qui dicunt non esse blasphemiam, sed tantum vanum usum divini nominis, quando quis indignando, non Deo, sed homini, profert caput, mortem, sanguinem Dei, et similia. Ista enim verba eo modo pronuntiata, sunt Deo contumeliosa, licet alterius occasione prolata. Consequenter ibi est virtualis et implicita intentio dehonorandi Deum. Et alioquin rare admodum forent blasphemiae, cum tamen reputentur frequentissimæ. Unde S. Thomas, hic a. 2, ad 3, dieit quod qui subito ex aliqua passione in verba blasphema prorumpit, advertens ad eorum signifi-

1. Hic q. 13, a. 1, o.

cationem, blasphemiam mortalem committat; qui autem hæc et similia profert non modo contumelioso, sed vel recitative, vel historice, non est blasphemus : unde specia-liter attendendum est ad modum pronuntiandi.

Dicitur « derogans excellentiæ divinæ bonitatis. » Et hoc fit, non solum quando directe contra Deum aliud contumelioso dicitur, sed etiam contra sanctos et res sacras, non quidem secundum se (sic enim non esset proprie blasphemia, sed vitium irreligiositatis dulie oppositum), sed cum aliqua habitudine saltem virtuali ad Deum. Sic ut enim, inquit Author, Deus in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera quæ Deus in sanctis facit, ita et blasphemia quæ fit in sanctos ex consequenti in Deum redundat. Qui ergo diceret S. Petrum esse impium et damnatum, B. Virginem esse meretricem, esset blasphemus. Qui vero loqueretur de illis, non prout sancti sunt, sed prout fuerunt homines in terra, v. g., si nominaret S. Petrum calvum, S. Crispinum sutorem, non esset proprie blasphemus, cum hic nullus sit respectus ad Deum. Sed, si ista proferret ex odio et indignatione, peccaret mortaliter contra duliam et observantiam debitam sanctis ; si autem ex joco vel levitate, esset peccatum veniale.

Itaque blasphematur : 1º denegando Deo quod ipsi convenit, vel asserendo de eo quod ipsi non convenit : et hoc sive fiat enuntiative, sive optative, sive imperative, sive sermone imperfecto ; 2º tribuendo quod ei convenit, sed irrisorie et quasi quid vituperabile, ut nominando contemptibiliter membra Christi et sanctorum ; 3º tribuendo creature quod est proprium Deo, ut omnipotentiam ; 4º factis æquivalentibus verbis contumeliosis, ut spuere in crucifixum.

Dico 2º : Blasphemia dividitur in hæreticalem et non hæreticalem<sup>1</sup>. Hæreticalis est quæ asserit aliquid contrarium fidei, aut negat aliquid ad fidem pertinens. Non hæreticalis est quæ, licet nihil contra fidem aperte conti-

1. Ibid. o.

neat, ea tamen quæ sunt fidei contemptibiliter et contumeliose, quasi essent vituperabilia, profert.

Dico 3º : Blasphemia est ex genere suo gravissimum peccatum mortale<sup>1</sup>, nec fieri potest veniale ex parvitate materiæ, sed solum ex indeliberatione involuntaria actus.

Patet prima pars, 1º ex gravissimis pœnis quibus punitur<sup>2</sup>. In veteri lege, *Levit.*, xxiv, 16, blasphemus lapidatur. In jure canonico plures pœnæ statuuntur contra blasphemos, quas si refugiant, sepultura ecclesiastica sunt privandi, cap. *Statuimus*, tit. *de maledicis*, lib. V *Decretal.*, et alibi. 2º Quia graviter repugnat charitati, eum sit contra excellentiam divinæ bonitatis ; item opponitur fidei et religioni, ut mox dicam.

Patet etiam secunda pars ; quia, quantumvis quid secundum se leve dicatur, ut Deus dehonoretur et vilipendatur, est semper gravissimum malum.

Patet pariter tertia pars ; quia in omni genere peccati indeliberatio involuntaria excusat a toto vel tanto peccato, quia ex ea fit quod actus non sit perfecte humanus.

Dixi « indeliberatio involuntaria ; » quia, si sit ex consuetudine quam blasphemus non curat pro viribus eradicare, non excusat a mortali, quia est voluntaria in causa, scilicet in ista consuetudine voluntaria. Ad hoc advertant confessarii.

*Potes* cui virtuti opponatur blasphemia.

*Resp.* Quatenus continet implicite vel explicitè falsum de Deo, opponitur confessioni fidei ; quatenus est Dei inhortatio, opponitur religioni, cuius objectum formale est cultus et honor Deo reddendus.

1. *Ibid.*, a. 2, o et ad 3. — 2. *Ibid.*, in arg. *Sed contra.*

## TRACTATUS

# DE REGULIS FIDEI

---

Numerantur quinque Regulæ fidei : duæ inanimatæ, scilicet Scriptura et Traditio ; tres animatæ, quæ melius dicerentur judices, scilicet Ecclesia, summus Pontifex et Concilium generale.

[Cum vero in Scriptura sacra et traditione contineatur divina Revelatio, quæ ab Ecclesia, a summo Pontifice et a Concilio generali vel exponitur, vel declaratur seu explicatur, utiliter his regulis fidei dissertatio specialis de Revelatione divina præmittetur.]

## DISSERTATIO I

### DE DIVINA REVELATIONE

#### ARTICULUS I

##### *De natura revelationis divinae*

Revelatio generatim est veritatis occultæ vel facti ignoti manifestatio.

Si revelatio a Deo ipso atque extraordinario seu supernaturali modo, præter consuetum ejus providentiae ordinem, fiat, divina nuncupatur.